

*nis in Seytz Ord. Cartusienfis fundati in Styria anno 1164.*

CCVI. VIII E 26.

375 Codex membraneus lat. Sec. XIII. Folior. 118. f. luculente scriptus et rubricis notatus completitur: I. *Hilarii Commentarium in Matth.* hoc titulo: *Incipit Tractatus Sancti Hylarii Pictaviensis Episcopi In Euangelium Super Matheum.* Scripsit *Tractatum* hunc magnus Praeful circa an. 355. ut notant Editores *Mauriani*, apud quos habetur col. 609. *Paris.* 1693. f. in *Capita* tributus, cum nobis *Numeris* constet, iisque, licet textus rite procedat, mire confusis ex. caussa

*Regis Summe Boni Testis Memor esto Geori.*

*Scriptoris Libri Maculas Tergendo Piachi.*

Vel solo hoc disticho motus *Codicem* cum pluribus aliis jam recensitis olim ad Monasterium *Weltenburgense* O. S. B. in *Bajoaria* pertinuisse dixissem, nisi in super *Fol.* 1. p. 2. legerem: *Liber Sancti Georii in weltenburch*, et alia manu: *accepi dono ab abbate.* Haec igitur subfragantur *Cl. Pezio Dissert. Isag.* ad T. I. *Anecd.* p. 37. narranti, nihil in hoc Coenobio incuria Monachorum prioribus seculis prope pefsumdato veterum monumentorum restare.

II. *fol.* 68. p. 2. *Incipit liber domni hugonis de claustralibus.* Praeunt Capitum Summaria inscripta: *Hec continentur in sub-*

I. VII. XIII. XV. XVI. XXV. XXVI. &c. Collatione instituta raro deprehenditur lectionis discrepantia, quam non jam *Mauriani* adnotassent. Unam adscribo non procul a principio, ubi *Edita* habent: *Denique cum transire Joseph ad Aegyptum admoneatur, ita dicitur.* Codex vero: *Denique cum transfret Joseph ad aegyptum ita ammonetur, diciturque.* Ultima illius sunt: *Emitur uero a custodibus qui omnia haec uiderant argento resurrectionis silentium, jamque adjecerat Librarius: et Mendacium, prout in Editis* excurrit, sed nescio, cur rursus alleverit atrum transverso calamo signum contentus addere: *Explicit Liber.*

*ieho libro domini Hugonis prepositi S. Victoris martiris.* Exemplar unum *Cod. DCXXXVI.* dedimus, cui istud geminum est. Praefatio et hic incipit: *Locutus karissime de his quae ad edificationem claustris materialis pertinent* &c. totusque Liber, qui in *Editis Rotbomagi* 1648. T. II. p. 60. *secundum* locum occupat, hic *primum* tenet. Ita et qui ibi *Tertius*, nobis *Secundus*, incipiens a Praef: *Nosti karissime quod ea quae de ordinatione claustris materialis diximus* &c. definensque in verbis: *tolle grabatum tuum et ambula*, rescissis omnibus, quae in *Editis*, maxime *de Templo Salomonis*, inconcinne adhaerent.

Pro

Pro *Parte Tertia* hic eadem de *Hypocritis* Excerpta occurrunt, de quibus ad *Cod. DCXXXVI.* mentem aperuimus. Nec est, quod addamus, nisi displicere, cum totum Operis hujus titulum de *Claustro Animae*, quoniam de *Claustro Animae* non nisi *unus* agat Liber, tum divisionem ejus in *Libros IV.* quorum saltem *primus* pene nihil de *Claustro*. Qua de re viderit, qui olim *Hugonum Victorini* et de *Folieto* Opera ad dentatiorem limam revocaturus est, quam quidem Promulgatores *Rotbomagenses*.

III. fol. 105. Incipit epistola domni Hugonis ad fratres de *hamerisleve de soliloquio*. Initium: *Dilecto fratri G. ceterisque seruis christi Hamerisleue de gentibus.* &c. Abfuit haec Epistola ab Exemplo, quod *Cod. DCCCCLXXIV.* produximus, cui ceterum consonat praefens, quod inscribitur: *Incipit soliloquium dilectionis de arra anime.* et extat una cum Epistola T. II. edit. *suprac.* p. 223.

CCVII. VII B. 3.

80 Codex membraneus lat. Sec. XV. Folior. 183. f. admodum nitide perscriptus et literis capitalibus auro, coloribusque variis complectitur *L. Coel. Lactantii Firmiani*, Scriptoris Seculi IV, Opera, fuitque olim, ut nomen adscriptum testatur, inter *Joannis Sambuci* Pannonii Tyrnaviensis Philologi insignis *κειμελια*. Orditur ab elogiis, quae *Hierony-*

*mus* variis in locis *Lactantio* tribuit, iisque *cenfuram* subjicit, quae hoc initio: *Lactantius quem nostri propter eloquentiam plurimum laudant* &c. primum occurrit in editione Veneta *Vindelini de Spira MCCCCLXXII.* f. *Censuram* excipit *Elenchus Capp. Librorum VII. Divinarum Institutionum*, qui et ipse jam in antiquissimis editionibus habetur. *Liber I.* minio inscribitur: *Lactantij Firmiani de falsa religione liber primus*, incipitque: *Magno et excellenti ingenio uiri* &c. Statim *lin. I.* voci *dedissent* alia manus syllabam *di* inseruit; plurimi enim Codices et Editiones antiquae *dedidissent* legunt. C. I. apostrophe tota *ad Constantinum Imp.* nobis deest. *Loca graeca* in ora libri manu coeva latine redduntur. C. VI. vocem *Toytb*, quae in Codicibus diversimode scribitur, relicto spatio noster transfiliit. C. XXIII. nobis in *duo* sectum est ita, ut a verbis: *Restant adhuc aliqua*, XXIV. incipiat.

L. II. C. 1. post verba: *Gestio enim* deficiunt ea: *Constantine Imperator*, illicoque post rectius legitur *conuictis inanibus*, quam *manibus*. C. IX. sub initium non habetur illa *περικοπη*: *Sicut mater sine exemplo* &c. nec illa haeresin Manichaeam sapiens, quae mox subsequitur: *Fecit in principio bonum et malum* &c. denique nec longior illa: *Cur autem justus Deus* &c. quae verbis: *ad Deum deferat*, et: *Exorsus igitur* &c: subinde interjecta deprehenditur.